



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

377. Die ultima Anni. De Signis profectûs in Scientia Sanctoru[m].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Martyrij genus est paupertas voluntaria. Martyrium est Castitas, quia victoria de propria carne est victoria de ipsa morte, eò quòd caro ab Apotolo corpus mortis nominetur, ut interpretatur S. Climacus gradu 15. Martyrium est obedientia, quæ apud eundem gradu 4. dicitur mors voluntaria, sepulchrû propriæ voluntatis, & Martyrium spirituale.*

*Conf. 3. Hinc clarè inferri, quòd vitæ Evangelicæ sit cœlum. Gratulabor Religiosis, & cum ijs interea pignus vitæ æternæ accipiam, quam potero dignissime, quia de indignè accedentibus, ait D. Cyprian. serm. 5. de Lapsis. Non cibum sibi sumit, sed gladium, qui indignè communicat.*

## MEDITATIO CCELXXVII,

## Die ultima Anni.

*De Signis profectûs in Scientia Sanctorum.*

**A**spiciam Animam sanctam, de qua ait D. Bernardus serm. 27. in Cantic. *Cœlum est sancta Anima, habens Solem intellectum, Lunam Fidem, astra virtutes. Ut autem cœli non sunt mundi coram Domino, sic sancti Viatores perfectionem non assequuntur, sed prosequuntur Petâ agnoscere, quantum profecerim in Scientia Sanctorum.*

*Conf. 1. Scientia Sanctorum est vita spiritalis,*

eualis, cuius Magistra est Charitas, ut ait D. Chrysoſt. Hom. 3. ad Galat. *Perfecta Philoſophia magiſtra eſt Charitas*, Acquirimus hanc ſcientiam Meditatione, inquit idem Sanctus Hom de Vanitate vitæ. *Philoſophare ergo, & contemplando conſcende, que cælo inſunt*. Proſicimus in hac ſcientia renuntiatione rerum omnium, inquit idem Sanctus Hom. 1. ad pop. Iob pauperibus largiens *tunc humanus fuerat*: Omnibus patienter ſpoliatus *tunc fuit Philoſophus*. Et Hom. 3. 2. ad Cor. *Patientia eſt radix totius Philoſophiæ*. Summa profectus in hac ſcientiâ eſt omnibus poſtponi, juxta S. Paulum ad Philipp. 4. *Scio humiliari*. Et D. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 7. *Non eſt indocta humilitas ſed, cùm habeat ſui ſcientiam, laudatur*. Et S. Chryſoſt. Hom. 3. in Matth. cap. 1. & 8. *Minimis ſe annumerare, caput eſt totius Philoſophiæ Chriſtianæ, atque faſtigium*, denique juxta D. Iuſtinum: *Finis philoſophandi eſt, DEO quoad ejuſ fieri poteſt, aſſimilari*. Et cum eo ſentit D. Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei. *Bonum noſtrum, de cuius fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullam eſt aliud, quam illi coherere*.

Conf 2. Memoria repetendo defectus anni, vitæque præteritæ, eorūque originem, aut quòd non perceperim ſcientiam, hanc, aut quòd oblivioni tradiderim, aut quòd

quòd  
te me  
cap. 7  
quid  
micte  
venia  
prom  
ex pi  
remic  
offici  
2. Or  
que I  
redd  
Epit  
nata  
ultim  
ram  
tiæ S  
mnis  
ab o  
quæ  
quia  
Vera  
unq  
tal  
qu  
rum  
vire  
neb  
ulti

quòd non ad praxin applicuerim ; & docente me Domino apud D. Gertrudem, lib. 4. cap. 7. si vel paleam de terra levem, aut quidquam aliud, in unione pietatis Dei remittentis peccata faciam, Dominus mihi veniam omnium peccatorum plenariam promittit; statuum deinceps omnia sic agere ex pietate & charitate nobis omnia peccata remittentis Dei, ut ipsa triplex suum in me officium expleat. 1. Omne vitium absumat. 2. Omnia mea ad finem ultimum, laudemque Dei ordinet. 3. Omnes actus meritorios reddat. Habet Salvianus lib. de gubern. Dei. Epitaphium de quodam, qui 70. annos natus. 7. tantummodo annos vixit; quia ultimis 7. vitæ annis Philosophiæ dedit operam. Ego tot annis vivere dicar, quot Scientiæ Sanctorum studuero. Peram veniam omnis culpæ, omnis poenæ, Præservacionem ab omni lapsu, perfectionem omnis virtutis: quæ perfectæ erunt, si sine fine exercentur, quia juxta D. Chrylost. hom. 81. in Ioann. *Vera virtus finem nescit.* Ratio est, quia nulla unquam virtus est tam perfecta in ullo mortali, quin perfectior esse possit, propterea, quòd omnes virtutes, sint virtutum divinarum participatio. Anima subtrahitur, quòd virtuti non impenditur. Talis quisque manebit in gloria æterna, qualis fuerit in gratia ultima.